



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

20 An privilegium amittatur per illius abusum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

- 3 Quae cedunt in aliorum grauanem, non admittuntur nisi ipsi praescribant.
- 4 Quoad valorem actuum, quibus priuilegium contradicis, cessat priuilegium, tamen si alij non praescripserint.
- 5 Si habes priuilegium non soluendi vectigalia, & permittas te scribi in libro, ubi ceteri non priuilegiati scribuntur, non amittis priuilegium.
- 6 Idem si priuilegium habeas, ne eligaris ad munera publica, & permittis te eligi.
- 7 Idem est de communitate exempta a decimis, si semel, vel iterum soluat.
- 8 Quae requiruntur ad praescriptionem contra priuilegiatum.
- 9 Quid dicendum, si condemnaris ante praescriptionem, in amissione priuilegij.

EX dictis in puncto praecedenti facili est huius difficultatis solutio. Dicendum ergo est primo, priuilegia absoluta, quae solum respiciunt priuilegiatum, nullo modo amittuntur per vium contrarium: cum quia contrarius vicius priuilegij non inducit renuntiationem illius, cum possit ob alios fines haberi a priuilegiato, scilicet ob vitandam aliquam licentiam, aut in gratiam personae alicuius, quotiescumque autem aliqua, et si iuris conditio fieri potest alterius finis a renuntiatione, praescriptio renuntiationis excludenda est, quia talis, renuntiatione odiosa est, & restringenda, vt relatio Felin. Anton. & alij docent. *suar. lib. 8. cap. 35. num. 12. Basilus de Leon lib. 8. cap. 18. §. 3. num. 28. Bonac. disp. 1. quaest. 3. punct. 8. §. 6. n. 1.* Adde etiam praesumptum renuntiationem fecisse, illa non admittitur priuilegium, quovis accipitur renuntiatione a concedente, vt supra diximus. Ergo, Et ita tenet in his priuilegijs Suarez a. n. 7. Basilus n. 15.

2 Dico secundo, priuilegia, quae non habent tractum successuum, sed ad vnicum actum conceduntur, per contrarium vnum illius omnino cessant. Et in hoc sensu est verissima sententia communis, priuilegium amitti per contrarium vnum, de quo communitur DD. in cap. cum accessissent, de constitut. cap. si de terra, cap. accidentis, de priuileg. glossa in cap. ex ore, de his qui sunt a maiore, verbo renuntians, & in cap. gratum, de offi. deleg. verbo recessum. Bart. Iaf. & alij in l. vltim. ff. de iust. Princip. & tradunt Bonacina, Suar. Basil. Salas, Azor, Gregor. Lopez, & alij locis saepe allegatis. Ratio est manifesta, quia si priuilegium datum erat pro vno actu, & tu illum non efficias, sed potius contrarium, cessat tibi priuilegium.

3 Dico tertio, priuilegia, quae in aliorum grauanem cedunt, quaeque tractum habent successuum, eo quod tenent ad plures actus, non amittuntur neque vno, neque pluribus actibus contrariis, nisi ex parte illorum, qui grauari sunt, deur praescriptio. Probo, quia huiusmodi actus non sunt toti priuilegio contrarij, cum non sint contrarij omnibus actibus, qui fieri possunt ex tali priuilegio, sed aliquibus. Ergo non derogatur priuilegium ex illis. Et confirmo, Si habes priuilegium non soluendi tributa, & soluas haec occasione, & tempore potes nolle in posterum soluere. Ergo vna, vel altera solutio non integre contradicit priuilegio. Ergo non possunt ex illis actibus amitti. Quod satis probatur ex l. 2. de priuileg. veterum, ubi asseritur non labefactari priuilegium immunitatis ab oneribus ciuitatis, esto quis sponere aliqua munera subeat. Idem colligitur ex l. voluntaria, c. de excus. tut. l. 2. Cod. de his qui sponte munera subeunt, lib. 10. & l. 43. tit. 18. part. 5. & cap. si de terra, cap. accidentis, de priuileg. & relatis alijs tradit Gregor. Lopez l. 43. tit. 18. p. 3. in prime. Suar. c. 35. n. 10. Bonac. disp. 1. q. 3. p. 8. §. 6. n. 1. Salas sect. 13. n. 66. Basil. n. 27.

4 Verum est hoc priuilegium non perdas contrariis actibus, quovis ex parte illorum, qui priuilegio grauantur, deur praescriptio: at quoad valorem illorum actuum, quibus contradicis priuilegio, cessat tibi priuilegium, neque a legare illud potes: sic glossa ex cap. gratum, de offi. deleg. cap. ex ore, de his qui sunt a maiore, & colligitur ex l. 2. §. 3. Cod. de his qui sponte munera subeunt, lib. 10. & tradit Gregor. Lopez, Bonacina, Suar. Salas, Basil. supra. Ratio est manifesta, quia in eo, in quo vis contradicere priuilegio, non potes velle vti illo: si enim habes priuilegium non soluendi tributum, & soluas, iam in illa solutione non vis priuilegio gaudere, sed potius renunciate. Qua ratione in l. 43. tit. 18. part. 3. fin. dicitur, habentem priuilegium super aliquas res, si de vna illarum conueniatur in iudicio, & condemnatur, eo quod non allegauerit priuilegium, priuilegium illi cessat, quoad illam rem tantum; ita vt amplius in iudicio allegari priuilegium super illa re non possit.

Hoc tamen intelligi debet; modo priuilegium sic est illis, quae in tui fauorem a te recte concessa sunt, quibus tu praediacare potes, alijs nihil priuilegio derogas, etiam si plures actus contrarij illi facias, vt notat Basil. n. 26. Suar. a. n. 11. Salas, & Bonacina supra.

5 Ex his inferitur primo. Si habes priuilegium non soluendi vectigalia, & permittas scribi in libro, ubi ceteri non priuilegiati scribuntur: & intra decem dies non appelles a tali grauanem, non obinde amittis priuilegium; quia non pro-

cessit tempus requisitum ad praescriptionem, sed solum inferitur te velle illa vice soluere: sic tradit Iaf. in l. vlt. Cod. de constit. Princip. Alexand. cons. 33. quod refert, & valde commendat Gregorius Lopez supra, l. 42. tit. 18. part. 3. consentit Bart. in l. voluntaria, Cod. de excus. tutorum, & in l. vltim. ff. de constitut. Principum. Suarez num. 14. sine Basilus n. 28.

6 Secundo inferitur, si habes vniuersale priuilegium ne eligaris ad munera publica, & permittis eligi, non ideo amittis priuilegium, ne ad alia munera eligaris, imo ne eligaris alia vice, sed solum amittis pro illa vice, qua electioni consentisti: colligitur ex supra, l. voluntaria, ibi, voluntaria iure munera priuilegijs nihil derogant. hoc est, nihil derogant quoad alia munera praeter ea, quae sunt voluntarie suscepta, sic glossa ibi Basil. n. 28. Suarez cum Felin. Bart. & alij num. 12. & iuxta haec explicanda est l. fin. ff. de priuileg. veterum, Veteranos, si passim sunt se in ordinem legi, muneribus fungi cogendos esse, cogendos inquam, esse fungi his muneribus, quibus se subiecerant & quoad ea, quae inde consequuntur, non tamen cogendos esse fungi alijs muneribus.

7 Tertio infero. Si communitas priuilegio exempta a solutione decimarum, decimas semel, aut iterum soluat, non amittit priuilegium absolute, sed solum quoad illas decimas solutas; quia non est praesumendum voluisse integre renuntiare priuilegium, sed ad euitandam licentiam, aut alia de causa id fecisse, sic docet Basilus illo num. 28. Gregor. Lopez supra, l. 42.

8 Dixi in conclusione non amitti priuilegium per actus contrarios, nisi accedat praescriptio illorum, qui grauari priuilegio sunt. Vt autem haec praescriptio accedat, non requiruntur plures actus contrarij priuilegio, sed sufficit si vnus addit contrarius, & sine vlla illius retractatione, quia tunc aduersus priuilegiatum in illo genere praescribitur, quod optime aduertit Suarez illo cap. 35. num. 20. vbi dicit. Si quis priuilegiatus semel soluit gabellam, etiam iterum non soluat, non ex vtili priuilegij, sed quia non occurrit occasio, & in eo statim permanet per legimum tempus, amittit priuilegium, saltem quoad illam speciem tributi, quae praescribitur, contra ipsum. Idem est, si passus est se eligi ad munus, ad quod erat immunis, vel passus est electionem fieri sine suffragio, ad quod habet priuilegium: nam licet nulla alia electio fiat, illa cum tempore sufficiente sufficit. Quod autem sit legitimum tempus ad praescribendum, iam dixi superiori puncto.

9 Dico quarto. Si in his priuilegijs, quae tractum habent successuum, condemnaris in amissione illorum ante tempus praescriptionis, eo quod feceris actum priuilegio contrarium, quia iudex praesumit te fecisse ex animo renuntians integri priuilegium, cum tamen non feceris, non tenetis in conscientia sententiae obediare, sed potes secluso scandalo priuilegio vti, quia sententia in falsa praesumptione fundata non obligat: at in foro externo debes te reputare, vt priuilegio destitutum; sic docet Bonac. illa disp. 1. quaest. 3. punct. 8. §. 6. num. 16. Suarez illo cap. 35. n. 25. circa fin.

Secus vero, si sententia daretur, non ob praesumptionem renuntiationis, sed ob contrauentionem priuilegij: nam tunc etiam in foro conscientiae, obediare ceteris, quia est iusta sententia; raro tamen sententia ob hanc finem pronuntiat; sed solum, quia praesumitur priuilegiarius renuntiasse priuilegio, Suarez supra, cum glossa in cap. pro illorum, verb. auctoritate, de praebend.

PUNCTVM XX.

An priuilegium amittatur per illius abusum.

- 1 Quibus modis abuti potes priuilegio.
- 2 Quomocumque abusum exerceas, dignus es illius amissione.
- 3 Ipso facto propter abusum, non priuatur quis priuilegio nisi ex verbis priuilegij aliud constet.
- 4 Explicatur supra dicta doctrina, discurrendo per abusus communititer contingentes.

1 Priuilegio abuti potes tripliciter. Primo si exendas priuilegium ultra id, quod concedit. Secundo, si occasionem ex illo sumes delinquendi. Tertio addi solet, si fini priuilegij tuis prauis moribus resistis, v.g. est tibi concessum priuilegium, ne in Ecclesia resedas, vt licetis vacare; tu veto teis tempus, & vanis rebus occuparis, fini priuilegij resistis.

2 Quomocumque autem ex his modis priuilegio abutaris; meritis illud amittere, iuxta doctrinam satis receptam: Priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur facultate, cap. vbi, dist. 74. cap. priuileg. 12. quaest. 3. cap. licet, de regularib. cap. vt priuilegia, de priuileg. c. conuicti, de sent. excomm. & alibi saepe. Quia in quolibet ex his modis datur veritas priuilegij abusus, ac proinde verum amissionis meritum, sic Salas disp. 17. sect. 13. num. 67. Bonacina disp. 1. q. 3. punct. vlt. §. vlt. n. 1. Suarez lib. 8. cap. 36. a. n. 4.

3 Difficultas est, an priuilegiatus propter abusum priuatur ipso

DE
ASTRO
PATA
TONI
ELV

ipso facto privilegio, vel veniat priuandus. Item an priuatur toto privilegio, vel parte illius, id est, valore actuum, quos virtute privilegij facit?

Cui difficultati respondeo, regulariter loquendo, nullum priuati suo privilegio ob illius abulum, sed solum venire priuandum, quia in allegatis textibus solum dicitur mereri amittere privilegium, qui concessa sibi abutitur potestate est, dignum esse amittere, sic docet Salas, Bonacina, Suarez *supra* Basilius de Leon lib. 8. c. 18. n. 29.

Dixi in conclusionibus, regulariter loquendo, propter abulum non amitti privilegium ipso facto, vt intelligeres aliquando non amitti privilegium ipso facto, quia ex privilegij verbis debes colligere; quæ si hanc penam expressè non appoluerint, non debes censere ipso facto impositam, sed solum ferendam. Adde, etiam si ipso facto imposta sit, non teneris te privilegij vtu priuare, quousque adueniat sententia saltem declaratoria abusus, ob quem priuatur privilegio, iuxta dicta de lege pœnali; & tradit in præsentibus Suarez lib. 8. cap. 36. n. 8. Bonacina disp. 1. q. 3. p. 8. §. ult. n. 1.

4. Vt autem supradicta clariùs intelligantur, placet discutere per modos, quibus abuti potes privilegio. Et quidem quando abuteris privilegio extendens illud ultra id quod potest, clarum est extensionem illam esse nullam, vt ipse factam sine potestate; ob illam tamen extensionem, & privilegij abulum mereris privilegio priuari; & de facto aliquando priuaris, vel toto privilegio, vel parte illius: vt in cap. 2. de postul. prælator. cap. cum in cunctis, §. vltim. & cap. cum vironensis, de elec. In quibus textibus priuaris pro illa vice potestate eligendi, eo quod elegeris indignum. Si autem secundo modo abutaris privilegio, occasionem ex illo delumens delinquendi, mereris quidem privilegio priuari: at factò ipso non es priuatus saltem, quousque adueniat sententia declaratoria criminis: vt videri potest in cap. contingit, 2. de sentent. excommunicat. vbi clericus incedens sine habitu, & contra occasionem libertus vtu adi, non amittit privilegium clericale, quousque ter monitus sit. Facta autem trina monitione iam illi privilegium prodesse non potest. Credo tamen non teneri ipsum se privilegio priuare, quousque per sententiam declaratur. Idem habetur in cap. ex litteris, de vita, & honestate clericorum, vbi clericus negotiator ter monitus non defenditur à solvendis tributis; quia factò ipso privilegium abiicit clericale: debet autem constare ter monitum esse, & insuper declarari, quoad prætermissis diuinis officiis secularibus negotiationibus inhiitit. Ad idem reduci potest: qui in Ecclesia delinquit eius immunitate priuatur, c. vlt. de immunit. Eccl. Quod si abusus privilegij tollat finem, & fundamentum illius: tunc clarum est cessare privilegium eo modo, quo cessat finis, & fundamentum illius; si enim finis, & fundamentum privilegij non omnino cessat, sed solum quoad aliquem actum, tunc privilegium pro illo actu cessabit, si verò in totum cessat finis, in totum etiam cessabit privilegium; sed hæc cessatio non est in penam abusus, sed ob defectum finis à privilegio intenti. Exemplis manifestatur; conceditur enim clerico coniugato gaudere privilegio clericali, si habitum deserat clericalem, & alicui Ecclesie deseruiat: quo privilegio priuatur eo ipso, quod laicè vivat; quia cessat tunc causa concessiois: vt constat ex Trident. sess. 23. cap. 6. de reformat. & dictum erat in cap. ex parte, de clerico coniugato, cap. vnic. eod. tit. in 6. Sed hæc amissio non est absoluta, & in perpetuum, sed interim dum laicè vivit: nam si deposito habitu laico habitum clericalem deserat, & Ecclesie destinatus sit, gaudebit privilegio. Accipere aliud simile, quod adducit Didac. Perez lib. 8. tit. 2. lib. 1. ordinum. regul. Suarez lib. 8. de legib. cap. 36. n. 7. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. vlt. §. 7. fine. Salas disp. 17. sect. 13. n. 68. de beneficiario, cui est privilegium concessum literandi fructus suæ præbendæ absque residentia ob studium literarum, qui si non student, amittit privilegium, non quidem absolute, sed quoad fructum illius, hoc est, pro tempore, quo non student, quia scilicet dum non student, non poterit gaudere privilegio, & virtute illius fructus præbendæ in absentia recipere: quia cessat conditio, seu causa sub qua privilegium est concessum: sicut enim beneficiarius absens à beneficio sine causa, non potest fructus illi temporè correspondentes lucrari; ita neque hic, qui illo tempore absque causa studij non vacat, non poterit similes fructus lucrari virtute privilegij; quia privilegium residentiam Ecclesie in studium commutare. vltim est: quæ omnia non leuiter confirmantur ex cap. generaliter, 16. quæst. 1. quod est sumptum ex l. generaliter. Cod. de Episc. & cleric. vbi eos tamen clericos, & monachos habere huiusmodi beneficij exemptionis à tutela testamentaria, dativa, seu legitima sancimus, qui apud sanctas Ecclesias, vel monasteria permanent, non diuagantes, neque circa diuina ministeria desides, cum propter hoc ipsum beneficium eis indulgamus. Addit tamen Salas illo num. 68. & consensio Suarez, & Bonacina *supra*, supradictam doctrinam procedere, quando ex privilegio constat solum ob illam causam, quæ cessat, esse privilegium concessum; scus verò si ob aliam quæ principaliter concessum fuisse, quæ tamen non cessaret, item quando cessat ob causam cessationem, privilegium non cessat in se, sed quoad fructum eius pro tali tempore, seu

modo operandi. Nam si postea velis bene vti, poteris fructu privilegij gaudere.

PUNCTVM XXI.

De amissione privilegij per reuocationem.

Prætermitto primò privilegium esse in triplici differentia: Primò est privilegium gratuitum, id est, ex libera Principis voluntate concessum. Et hoc contingit dupliciter. Aliud consistens solum in potestate, & licentia delegata ad aliquem vsum contra legem, vel præter legem: aliud, per quod ius in privilegium transferatur. Secundo est onerosum, & lucratiuum, quod datur ob aliquod onus, vel lucrum à privilegiario exhibitum. Tertio est privilegium remunerarium, quod datur in præmium, & remunerationem seruitiorum, quæ à privilegiario sunt Principi exhibita.

Præmitto secundo, privilegium & subdito, & non subdito concedi potest.

Præmitto tertio, privilegium, siue gratuitum siue onerosum, aliquando inuoluit dispensationem legis, aliquando non.

§. I.

An privilegium gratis concessum reuocari possit.

1. Privilegium datum ob aliquem vsum validè reuocari potest absque causa, sed peccatum veniale committitur.
2. Privilegium transferens dominium privilegii non potest reuocari, neque ab eius successore reuocari.
3. Satisfit euidam obiectioni.
4. Expenditur, quæ causa sufficit ad reuocandum privilegium acceptatum, cuius privilegiatus habet dominium.
5. Princeps reuocans privilegium, quod sine causa reuocare non potest, tenetur probare causam adesse reuocationis.
6. An requiratur ad huius reuocationem ultra legitimam causam compensatio privilegij? Probabilis est non requiri.

1. Dicendum est, si privilegium consistat in facultate, & licentia delegata ad aliquem vsum, vel contra communem legem, vel præter illam, potest validè concedi, & eius successor reuocare, quando voluerit: peccabit venialiter: si absque vlla causa id fecerit, sic cum communi sententia tradit Felix, n. 8. 9. & 10. de iud. Thomas Sanchez lib. 8. de dispens. c. 33. n. 1. Suarez de legibus, lib. 8. cap. 37. n. 10. Salas disp. 17. sect. 14. n. 70. & disp. 20. sect. 18. n. 126. Matiez, lib. 5. in. 10. l. 6. num. 5. Bonacina disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 3. n. 1. Basilius lib. 8. de matrim. cap. 19. num. 11. Prior pars conclusionis, scilicet validè posse reuocare hanc facultatem, constat; quia hæc est, quasi quedam delegatio: delegatus autem nomine delegantis operatur. Ergo ex voluntate delegantis cessare potest. Quod si hæc facultas, & licentia operandi contra communem legem, alicui subdito sit concessa; clariùs constat reuocari posse à concedente, quia potest ipse concedens exemplum à lege subditum iterum legi subijcere: quia cum non amiserit potestatem iurisdictionis in illum, poterit, circa illum exerce- re, denovo imponens præceptum, quod per privilegium sublatum fuit. Secundam partem conclusionis, scilicet in hac reuocatione peccatum veniale admitti, probao. Quia sine causa voluntatem mutare, leuitatis, & inconstantis est, & contra naturam beneficii Principis, quod decet esse mansuram, ex reg. decet, de reg. iur. in 6. & tradit pluribus exorans Molin, de primogen. lib. 4. cap. 3. n. 20. Sanchez num. 11. Bonacina n. 6. Salas disp. 17. n. 70. Limitat tamen Sanchez num. 6. & 7. supradictam doctrinam in concessione iurisdictionis, quam dicit reuocari posse pro libito absque causa, etiam sine vilo peccato, quia videtur semper hæc excepta, vt dicit, quoties concedenti placuerit. At credo retinendam esse communem sententiam, vs peccatum sit veniale hanc reuocationem facere absque causa, quia arguit leuitatem, & mutationem, & docet Suarez, Molin, Salas & alij, locis allegatis.

2. Verum si de privilegio, quod dominium transfert in privilegiiarium, loquamur, siue subdito, siue non subdito concessum sit, non poterit concedens, neque eius successor reuocare validè absque causa, si iam fuerit acceptatum; quia donatio acceptata non potest ad libitum donantis reuocari. Aliàs absque causa poterit quis priuari rebus suis, sic cum communi sententia docet Suarez illo cap. 37. num. 7. Bonacina num. 5. Sanchez n. 2. Matiez, supradicta gloss. 1. num. 6. vbi plures refert. Molin, *supra* n. 21. Ex quo fit, si tibi privilegium sit concessum, decimandi, exigendi aliquid tributum, non potest Princeps pro libito à te tollere, quia possides illud tanquam bonum proprium, quo sine causa priuari non potes.

3. Neque obstat l. v. tit. 10. lib. 5. noua compil. vbi dicitur, Tenemus por hien, 7 mandamos que las mercedes que se hizier en por sola